

1598

blicæ fore non existimarent, ut, quæ latissimos fines cum hostibus haberet, eorum primos impetus exciperet.

*Alberti  
Austriaci  
cū Philippi  
Regis filia  
nuptia.*

Dum hæc geruntur, Philippus Hispaniæ Rex, ut tandem Isabellam filiam Alberto Archiduci, quod ante statuerat, connubio jungeret, Madritum Philippo filio accersito, quem Velladæ Marchio, ejus alumnus, Christophorus Mora, Johannes Idiaqueus, consiliarii, Nicolaus Damanus, Brabantiae præses ac scriba, stipabant, decretum perlegi jubet, quo Belgium filiæ tradit: conjuges, eorumque liberos supremos Principes Belgii provinciarum, Franciæ Caroleique comitatuum, ac Burgundiæ constituit, ea lege, ut si, nulla relictæ prole, descendant, eæ rursus provinciæ Hispaniæ adnectantur. Itaque Albertus Cardinalis comitia in Belgio convocat, subiectosque sibi jurejurando adigit. Bruxellis septembri mense digressus, galero deposito, Pragam contendit, de Belgii rebus cum Rodulpho Cæsare fratre acturus; inde Græcum profecturus, ut Margaretam, Archiducis Caroli filiam, Philippo Hispaniarum Principi conjugem designatam, secum in Hispaniam duceret. De filii filiæque connubio Philippus per Mendozzam Senatum certiorem facit. Eadem Albertus significat, seque in Hispaniam iturum, Ferrariæ Clemente consulutato, per ditiones Reipublicæ iter se habere cupere ostendit. Ea re cognita, bini legati, qui ad Venetos fines Margaretam, Hispaniæ Principis sponsam, Albertumque Archiducem excipient & comitentur, designati, Paulus Paruta, Vincentius Gradonicus.

*Philippi  
Hispaniæ  
Regis filii  
cum Mar-  
gareta Au-  
striaca na-  
ptie.*

*Paulus Pa-  
ruta, &  
Vincentius  
Gradoni-  
cus, legati  
ad Hispani-  
am sponsam in-  
tra Repu-  
blica fines  
excipien-  
dam.*

Per eos dies literæ a Francisco Superantio, Reipublicæ in Hispania legato, de Philippi Regis obitu afferuntur: exacta jam ætate, arthritide febrique correptum, divi Laurentii templum, quod regio sumptu septem a Madrito leucis ad Euscurialem substruendum curaverat, summoque religionis cultu prosequebatur, perduci voluisse: exiguum id iter septem diebus ob corporis imbecillitatem confecisse; ingra- vescente morbo, lethoque adventante, Ecclesiæ sacramen- tis munitum, ab Clementis legato Gartiam Lojolam, cui Albertus Archidux Toletanum archiepiscopatum resignave- rat, insignis illius ecclesiæ Antistitem solemini ritu con- secrati iussisse. Filis, eodemmet Archiepiscopo præsente, aduersitis, ad Principem conversus, quonam humana am- plitudo